

Contributors

Störck, Anton, Freiherr von, 1731-1803.

Publication/Creation

Vindobonae : J. Thomas Nob. de Trattner, 1775.


Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/ay2pte5y>


License and attribution


This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



IL POLIFILO
VIA BORGONUOVO 3
MILANO





54210/B


VIENNA, Universität





Digitized by the Internet Archive
in 2019 with funding from
Wellcome Library

<https://archive.org/details/b30515853>





J. E. Mangold fecit.

INSTITUTA
FACULTATIS MEDICÆ
VINDOBONENSIS

CURANTE

ANTONIO STÖRCK

AUGUSTORUM

JOSEPHI II. IMP. ET M. THERESIÆ

IMPERATRICIS REGINÆ APOSTOL.

AB AUL. CONSILII ET ARCHIATRORUM COMITE.



ex Mus. Med.

CIO IDCC LXXV.

EXCUDEBAT VINDOBONÆ


J. THOMAS NOB. DE TRATTNERN, AUGG. TYPOGR.

308801.





ANTONIUS STÖRCK
LECTORIBUS.



Potissima humanæ felicitatis, post
mentis sanitatem, pars est,
corpore esse bene valente, & ad om-
nia, haud minus exteriora, quam in-
teriora munia celeriter suaviterque ob-
eunda promptissimo.

Quod cum intersit non minus sin-
gulorum hominum, quam universæ
Reipublicæ, quæ, ut felix sit, nequit
in multis opera civium corpore sano

præditorum carere, idcirco Civitates sapienter institutæ sollicitæ fuerunt semper, ut, qui profitebantur, se posse valetudinem & servare præsentem, & quacunque de causa amissam revocare, non ex iis promissoribus essent, qui pecuniæ corradendæ intenti, homines mendaci scientiæ jactatione deciperent, sed veris Artis principiis imbuti valerent scienter languentibus opitulari.

Constituerunt propterea Medicorum Collegium quoddam, cui superior ætas Facultatis Medicæ nomen indidit; eique commiserunt procurationem rerum omnium, quæ ad Artem sive perdiscendam, sive honeste
pru-

prudenterque faciendam poterant quoquo modo pertinere.

Ac providæ hujus sapientiæ impulsionem permoti RUDOLPHUS IV. & ALBERTUS III. AUSTRIÆ DUCES, cum anno MCCCLXV. statuissent in hanc Principem Urbem Studiorum Universitatem inferre, voluerunt, ut Medicæ quoque Facultati in ea locus esset; quam ita conformaverunt, ut Ea pro illorum temporum conditione nulli e præstantioribus, quæ in Europa tunc celebrabantur, esset inferior.

Et sane Medicam hanc Vindobonensem Facultatem nunquam caruisse viris, qui sive Arte exercenda, sive etiam operibus ad eam prudenter

faciendam adhucdum utilibus, nomen suum illustraverint, Historia Literaria luculenter testatur.

Etenim ne quid dicam de illis, quorum, ut recens memoria est, ita supervacaneum esset doctrinam famamque celebrare. Cuinam vel mediocriter in Medicina bonisque literis erudito ignotum est *Cuspinianos*, *Lazios*, *Sambucos*, *Cratones*, *Sorbaitios* meruisse, ut a posteris quoque laudarentur?

Verum, quod publicis Institutis plerumque accidit, ut vel hominum incuria, vel injuria temporum, vel publicarum rerum conversione aut pervertantur, aut languescant ita, ut

fin

fin minus perniciofa, faltem fiant inutilia, id evitare pluribus de caufis nec Facultas noſtra potuit, in eo præſertim, quod ſpectat ad Studiorum rationem.

Cum enim eadem illa publice docendi forma maneret, quam primi Facultatis conditores illi indiderant, certusque ac ordinatus prælectionum ordo ac modus non eſſet lege præſcriptus, & quilibet e Profeſſoribus arbitrato ſuo ſeligeret ad prælegendum, quid ſibi videbatur, eaque id ratione tractaret, quam commodiorem, aut ſententiis, quibus imbutus erat, aptiorem exiſtimabat; eveniebat, ut publica Artis Salutaris Diſciplina apud nos eſſet &

mis undique premebatur, passa tamen non est, ut in ditionibus Suis scientiæ artesque ulterius jacerent.

Nam cum primum *Gerhardus van Swieten* Lugduno Batavorum, ubi florebat, accitus, ut Valetudinis AUGUSTÆ DOMUS curam gereret, hortatus Illam est, ut instauratione hac non minus literis, quæ ad Imperiorum dignitatem augendam non minimam vim habent, quam commodis, quæ ex earum recta cultura in omnes civium ordines redundant, prospiceret, tam illustre consilium sublimis AUGUSTÆ Mens arripuit illico, decrevitque, ut illud ipse idem, qui ejus auctor fuerat, exsequeretur.

Swie.

Swietenius vero, qui ingenium perspicax, memoriam vastam tenacemque, judicium acre, ceterasque dotes, quibus natura Eum liberaliter donaverat, Græcis Latinisque literis optimorumque cujusque generis librorum lectione excoluerat, ac constanti viginti annorum familiarique *Hermanni Boerhaavii*, Viri Summi, frequentatione omnia naturæ, ac cum primis Medicinæ adyta pervaserat, incredibile dictum est, quanto animi ardore laborioso huic operi molestoque manum admo- verit, & quam celeriter accurateque AUGUSTÆ votis responderit.

Et quantum ad Facultatem Medicam attinet (nam in reliquis Facultatibus

bus restituendis quid præstiterit, non deerunt, qui dicent) haud in eo se continuit, ut Professorum Scholarumque publicarum numerum, ordinem, munia, ut & Auditorum officia exercitationesque præscriberet, singulisque vel Facultatis Universitatisque convocationibus, vel usitatis in Scholis Actibus interesset, quod homini minus etiam, ac Ipse erat, occupato potuisset videri satis grave, sed ipsemet perinde, ac si non quidem rei Institutor Supremusque Moderator esset, sed e Professoribus unus, onus docendi publice, sponte suscepit.

Metuens enim prudenter, ne Medicum Ædificium, quod mente conceperat,

perat, futurum esset minus solidum, nisi diligens opera in imis fundamentis præjaciendis constabiliendisque collocaretur, tametsi valetudo & AUGUSTÆ DOMUS & Nobilium Collegii THERESIANI Adolescentium, tum Aulicæ Bibliothecæ Præfectura, Mathematicarum Physicarumque Prælectionum in Universitate Directio, Librorumque Censura non parum Illi temporis surripiebant, sumsit sibi explicandas quotidie Tyronibus *Boërhaavianas* Institutiones. A quo opere, cui pluribus annis constanter institit, non prius se retraxit, quam animadvertit in *Joanne Störckio*, Suevo, quem amantissime ipsemet erudierat, tantum esse intelligentiæ, ut

ut aliis *Boerhaaviana* doctrinæ penetralia posset cumulatissime referare.

Anatomia providit, non tantum commissa ejus explanatione *Laurentio Gasserio*, Carintho, viro in disseccandis cadaveribus, & in quocunque injectandi genere exercitatissimo, universæque Anatomicæ doctrinæ intelligentissimo; sed etiam donatis liberaliter Facultati Medicæ Anatomicis omnibus, ut vocant, Præparationibus, quas e *Ruy-schii*, *Albini*, *Lieberkühnii* aliorumque in hac re celebriorum virorum laboribus in proprium usum maximis sumtibus collegerat.

Prælectiones *Chemiae Botanicesque* intulit in Facultatem, ubi earum nec
vesti-

vestigium fuerat, procurato ad Chemica opera instrumentorum apparatu, instructoque Plantarum horto, quem Typus, opellæ huic insertus, repræsentat, qualem, Eo promovente, *Nicolaus Jacquinus*, Lugduno Batavus, cujus nomen insignis sua in Chemicis Botanicisque rebus doctrina, & susceptæ ad Naturalis scientiæ incrementum, jussu FRANCISCI I. AUGUSTI, Americanæ peregrinationes nobilitarunt, non sine ingenti studio ac labore efformavit.

Ne vero morborum curandorum ratio a theoreticis præceptionibus, unde ipsa derivatur, esset fortasse propter sententiarum varietatem dissentiens, coniecit oculos in *Antonium de Haen*,
Ba-

Batavum, qui sub communi præceptore *Boerhaavio* peculiariter adlaboraverat, ut veram *Hippocraticam*, in Medicina facienda viam pernosceret, quique Hagæ Comitum felici Artis hujus exercitio non mediocrem sibi famam conciliaverat, atque Ei ad omne id, quod in publicum bonum cedit, libenter etiam proprio cum incommodo amplectendum prono, consilium isthoc suum ita persuasit, ut Is non recusaverit relicta Patria ad nos migrare & operoso Praxeos in Facultate nostra publice docendi muneri, non sine ingenti Discipulorum Medicæque doctrinæ emolumento, sese subicere.

Institutionum *Chirurgicarum* Prælectioni destinavit *Josephum Jausium*, Vin-
dobonensem, qui CAROLI VI. AUGU-
STI jussu ac sumtibus, Lutetiæ Parisio-
rum sub illustris *Winslowii* celebri-
rumque ejus temporis Chirurgorum di-
sciplina, quicquid ad Anatomen & Chi-
rurgiam pertinet, quam diligentissime
didicerat. Atque ut Auditoribus pos-
set, quæ ipse sciverat, pandere, om-
ni cum instrumentorum machinarum-
que apparatu instruxerat, quæ Enche-
resibus opportuna esse, veteres recen-
tesque *Chirurgicarum Rerum* Auctores
judicaverant.

Obstetriciæ Arti Professore Publicum deputavit *Henricum Cranzium*
Luxemburgensem, qui Parisios AUGU-

STÆ sumtibus ab Eo missus tam accurate pervestigaverat, quæcunque illic existimantur profutura obstetricantibus, ut Auditoribus posset de illis docte experienterque differere, suppeditata illi suppellectile omni ad Artem demonstrandam, encherefesque facien-
das necessaria.

Ne quid oscitantiae in Medicamentorum præparationem irreperet, decrevit, ut Pharmacopolæ non probentur, nisi rite examinati, & ut publicæ Pharmacopeæ visitationibus subsint.

Omnia ad scholastici anni cursum, qui in Universitate nostra excurrit a secunda Novembris ad octavam Septembris, attemperavit.

Utilitati publicæ haud minus, ac studioforum Artis æque, ac eam jam facientium tranquillitati, quæ cuicunque mentis exercitationi alacriter prospereque exequendæ est summopere necessaria, non omisit prospicere.

Itaque ne illi, qui ingenio sunt bono, sed minus propitiam fortunam experti sunt, aut impotentia impendendæ pecuniæ, Reipublicæ, cui poterant studiis suis esse utilissimi, fiant prorsus inutiles, aut molestias patiantur, si amore literarum inducuntur, ut solvant, aut suspicentur Magistros non eam in erudiendis tenuioribus, ac in pecuniosis operam impensuros, ab AUGUSTÆ Munificentia impetravit, ut Prælectiones publicæ possent esse prorsus gratuitæ.

Ut autem Medici eximerentur a familiari sollicitudine, qua interdum in Artis exercitio perturbantur, dum metuunt, ne eorum uxores, postquam ipsi decesserint, vitam inter domesticarum angustiarum colluctationes ducant, instituit Ærarium, unde viduæ eorum, qui huic sodalitis nomen dedissent, jure suo certam quotannis pensionem, dum viverent, repetant.

Nec a procurandis præsentia, voce, opera Facultatis Artisque commodis, quoad vixit, removit unquam animum.

Quare Facultas nostra, ut ab Eo exstructa a fundamentis est, ita Ejus Instituti, quibus hodie regitur, siquidem inviolate perstiterint, potis est in
quam-

quamcunque feram ætatem honorificentissime florere.

Nam si temporum conditio videatur fortasse requirere, ut quid illis addatur, quemadmodum ad Ejus mentem ipsi fecimus, constitutis tum peculiari Tractatione de oculorum morbis cōgnoscendis, manuque curandis: tum Chirurgicis Obstetriciæque Artis Prælectionibus extra ordinem in eorum commodum, qui ordinario Prælectionum publicarum curriculo interesse nequeunt: tum informatione interiorum morborum in pagis frequentiorum Chirurgis tradenda; id quidem, si acutius perpendatur, non additio est, sed rerum tantum in *Swietenii* Institutis, tanquam in femine, conclusarum

diductior quædam & quasi corpulentior evolutio.

At quanto Ipse erat ferventior in promovenda Facultatis celebritate, quæ ita pervagabatur, ut quosdam e Transmarinis usque Regionibus ad eam frequentandam excitaverit, tanto erat a magnificanda opera sua remissior & prorfus incurius.

Nam quamvis noscere facile poterat non minimum sibi honorem obventurum, si Typis, quæ ipse hac in re strenue effecerat, vulgasset, attamen nequidem de concinnandis atque in ordinem redigendis Facultatis Institutis unquam cogitavit.

Verum quod Ipse gloriæ despicientia neglexit facere, gratus noster erga

Illum

Illum animus non finit, ut a nobis omit-
tatur.

Præsertim cum utile futurum sit ado-
lescentibus in antecessum scire, quid
præstandum sibi sit, quandocunque Me-
dicinæ velint se consecrare: ducamus-
que haud ingratam fore Civibus enar-
rationem earum rerum, quæ *Swietenius*
eorum valetudini consulturus præstitit.
Ac tandem, quoniam æquum quam ma-
xime est, ut omnes AUSTRIACÆ Ditio-
ni subditi intelligant, quantum Mater-
næ AUGUSTÆ Mariæ THERESIÆ Pro-
videntiæ debeant.


Etenim instauratis EJUS Munifica
Beneficentia literarum ac præcipue Me-
dicæ Artis studiis factum est, ut qui
EJUS felicissimo Imperio parent, po-

tiantur, si voluerint, eo, quod in optabilibus hujus vitæ est maximum, ut nempe sint mente sana in corpore sano.

Quod si opella hæc nostra inferior longe est ei, quam facile quilibet conijciet, potuisse hac de re a *Swietenio*, si voluisset, conscribi, speramus neminem vitio id nobis daturum, qui sciat, nos imitari quidem Ejus ardorem in Medicæ Facultatis, cui præsumus, dignitate utilitateque servanda, &, si per vires nostras licet, amplificanda, verum non ita desipere, ut audeamus ullo pacto cum Summo illo Viro de ingenio doctrinaque contendere. Vindobonæ
Id. Jan. CIOIOCCCLXXV.



INSTITUTA
FACULTATIS MEDICÆ
VINDOBONENSIS.



acultas Medica Vindobonensis con-
stat Præsidente, Decano, Professori-
bus Publicis Ordinariis, Seniore,
Notario, & Medicinæ Doctoribus, Facul-
tatis albo adscriptis.

A

Præ-

Præses a Summo Principe designatur
Ille, cui valetudinis suæ curam committit.

Ejus officium est perpetuum.

Is Facultatis tenet gubernacula, totius-
que Rei Medicæ negotia gerit ac modera-
tur.

Præprimis autem curare debet, ut Ca-
thedræ publicæ ordinariæ a Professoribus
quam maxime idoneis & diligentibus occu-
pentur; tum ut Studium Medicum non
tantum in constituto ordine ad amissum ser-
vetur, sed etiam, quantumquidem fieri po-
terit, emendetur, perficiatur & amplifice-
tur. Quibus in rebus Professores officii le-
ge pendent a Præsede.

Decanus eligitur quotannis ab univer-
sis Facultatis membris; atque illi honor iste
confertur, in quem major suffragiorum nu-
merus conspiraverit. Qui eo jam functus
est, potest confirmari etiam pluries, dum-
modo,

modo, cum repetitur electio, semper in ipsum confluant suffragia plurima; & justæ gravesque causæ aliter Præsidi non suaserint.

Ejus officium expostulat, ut necessario omnibus Facultatis actibus tam privatis quam publicis interfit; tum ut prædisponat cuncta, quæ spectant Commissiones, ut & Consultationes criminales æque ac civiles &c., quæ a Facultate Medica petuntur.

Primum a Decano locum tenent Cæsareo - Regii Archiatri.

Hos sequuntur Professores Publici Ordinarii, quorum quilibet Cæsareus Regiusque Consiliarius est.

Nullus Professorum eligi potest vel Universitatis Rector, vel Decanus, ne adscitiis hisce occupationibus distractus a Professoriis suis muniis rite diligenterque obeundis interturbetur, aut impediatur.

Si aliquis Professorius locus vacaverit, Præsidis est, eum seligere, qui huic muneri sit aptissimus, riteque proponere Summo Principi, ut ejus suprema auctoritate renunciatur.

Nemo tamen, nisi forte annosa sedulaque Artis exercitatione, vel vulgatis operibus probaverit se esse aptum ad docendum, constituitur statim Professor Publicus Ordinarius. Cuilibet enim alteri, in quem ista non cadunt, præscribitur, ut habilitatis suæ specimen daturus ad unum alterumve annum titulo Lectoris publice prælegat, tributa illi primo anno medietate salarii Professoris Ordinarii, & altero duabus tertiis partibus. Quo tempore, si muneris sui partes omnes expleverit, Aulico Decreto confirmatur, & omnes deinde Professoris Publici Ordinarii honores fructusque in Universitate consequitur.

Si

Si minus satisfaciat, alter ejus loco ad idem experimentum substituitur.

Quæ methodus ad pernoscendos, qui mereantur Professores renunciari, est. sane opportunissima. Siquidem in Professore præter solidam doctrinam desiderantur adhuc plures cum ingenii tum animi dotes, quarum, utrum saltem summe necessarias recte possideat, longius solummodo experimentum potest patefacere.

Si plures adsint, qui Professorium aliquod munus ambiant, videanturque æque intelligentes, instituitur singulorum tentamen, ut exploretur, qui sit optimus, ideoque ceteris antefereendus.

NUMERUS ET MUNIA PROFESSORUM MEDICINÆ.

Quatuor ii sunt: quorum unus docet
Chemiam & Botanicen,

Alter Anatomen,

Tertius Physiologiam, Materiem Medicam, & Methodum conscribendi formulas,

Quartus Pathologiam & Praxin Clinicam.

RATIO, QUÆ SERVATUR IN DOCENDO.

Cum mos ille dictandi propria scripta, qui superioribus sæculis invaluerat, sit pluribus de causis sublatus, præscribitur Professori libellus aliquis ex iis, qui commodiores probatioresque sunt, ut possint discipuli cognoscere ordinem, quem Professor in illis erudiendis sequuturus est, & ad eum memoriæ gratia valeant referre, quæcunque in Prælectionibus audierint, vel in aliis Auctoribus invenerint.

Nam

Nam quia ad quamcumque scientiam artemque penitus comprehendendam compendiaria via est excutere quam diligentissime probatissimorum virorum opera, in quibus aut universa earum materia, aut aliqua ejus pars illustratur; Professores nostri, præterquam, quod ex præscripto Prælectiones suas auspicantur a litteraria Facultatis, quam docent, historia, non prætermittunt inter docendum indicare, privatimque legendos consulere Auditoribus suis præstantiores Auctores, qui de re, de qua illis sermo est, doctius uberiusque pertractarunt. Neque ex eo, quod hucusque injunctum est, exempli causa, uti *Boerhaavii* Institutionibus, existimandum erit, Medicinæ Professores adigi, ne vel ab ordine, vel a sententiis *Boerhaavii* ullo pacto recedant; sed ideo factum est, quod nulla hætenus prodierit Medicæ Artis Epitome, quæ mi-

nori volumine, & ordine magis perspicuo comprehendat tanta, quanta in suis libellis *Boerhaavius* conclusit.

Medicina enim ars est non quidem servilis, sed liberalis; quique ei se addicunt, pendere non debent a privatis cujuscumque opinionibus, sed id solum probare, quod experimenta, & hinc legitimæ deductæ rationationes ostenderint esse naturæ consentaneum. Quocirca in potestate cujusque Professoris est, ea proferre, quæ ipse pro peritia sua judicat veriora, aut instituendis Auditoribus suis aptiora, etiam si ab Auctore, quem prælegit, sint dissentanea.

Hinc in more positum est, ut præter libellum, qui præscribitur explanandus, Professor quilibet, siquidem sibi videatur, commendet lectionem alterius Auctoris, quem censet ad intelligentiam Prælectionum suarum posse conferre.

Quin

Quin si voluerit conficere ipsemet libellum, ex quo prælegat, illi interdictum nulloatenus est; dummodo, quod scripserit, antequam typis detur, exhibeat Præsidi, ut, quod publice prælegendum est, non nisi Facultate consentiente prælegatur.

Immo summa est in Scholis nostris sollicitudo, ne vel ipsorum Discipulorum mentes factiosæ fiant contentiosæque, aut hypothefibus in artis exercitio plerumque noxiis inficiantur.

Ac propterea cautum Professoribus est, ut in docendo patefaciant candide, quid habendum sit certum, quid probabile, quid obscurum, quid dubium.

Et quia fraudari Discipuli non possunt cognitione controversiarum, quas auctoritas virorum doctorum disputationibus suis reddidit celebres, enarrantur eæ quidem, sed problematice tantum, expositis ingenue

& sine partium studio argumentis, quæ uterque contendendum in propriæ sententiæ confirmationem adducit: admonenturque Auditores, ut, quodocunque adsit in rebus obscuritas, abstineant a judicando, donec uberior lux adfulgeat.

Atque hisce expositis in universum describenda est ratio, quam singuli Professores sequuntur.

C H E M I A.

Professor Chemiæ, qui ordinem servat Elementorum Chemicorum *Boerhaavii*, & suadet præter hunc legendos *Spielmannum* & *Macquerum*, Prælectiones suas ita distribuit, ut in iis non tantum omnia, quæ Medicis Pharmacopœisque necessaria scitu sunt, sed &, quæ Metallurgiæ & Oeconomix possunt usui utilitatique esse, explicen-

centur, & repetitis experimentis demonstrantur.

BOTANICÆ.

Idem Professor, Botanicen non theoretice tantum, sed & practice docturus, ita, ut ejus Auditores plantas quotiescumque occasio sese offert, possint internoscere, Lectiones suas instituit in Botanico Cæsareo-Regio horto, ad hunc finem exstructo; Et quoniam sequitur Systema *Linnaei*, cujus opera idcirco consulit legenda, hujus doctrinam, posteaquam verbis fuse dilucideque explanavit, confert confirmatque in plantis ipsis tam indigenis quam exoticis, quibus hortus iste copiosissime est instructus.

Et ne quid desit, quo publica utilitas promoveatur, prostat typis impressus plantarum omnium Index præfixis cuique earum

numeris illis, qui singulis plantis horti respondent, cujus ope quilibet potest, quandoque voluerit, ea recolere, quæ a Professore audiverit.

Plantis autem, quæ ex eo, quod communioris sunt in Medicis præscriptionibus usus, appellantur Officinales, destinatus est in eodem horto sejunctus locus tabellis infixis, quibus nomina Latina & Germanica cujusque speciei inscripta sunt; Qui locus quocunque anni tempore patet etiam iis, qui necesse habent has plantas cognoscere, & negotiis quotidianis impediti Prælectionibus Professoriis nequeunt interesse.

Præterea Professor vernalibus æstivisque diebus, assumtis secum studiosioribus quibusdam discipulis, peragrat sæpius campos, valles, colles, montes, & sylvas, non solum urbi proximiores, sed etiam remotiores, ut hi & assuescant plantas, ubicunque

que occurrerint, statim discernere, & perspiciant peruestigentque herbas stirpesque rariores eo ipso in loco, in quo naturæ vi sponte progerminant & crescunt.

A N A T O M E.

Qui profitetur Anatomen, Prælectiones suas instituit secundum Anatomicas Tabellas *Shaarschmidii*, commendata Auditoribus lectione *Winslovii*; Et quandoquidem debet singula, quæcunque voce exposuit, illico in ipsis humani corporis membris demonstrare:

Agit in hyeme de iis Anatomes partibus, quæ illustrari possunt cadaveribus recens extinctis, eas subtiliter dextereque dissecando, injectando, ceterisque variis artificiosisque modis præparando, ut quantum humanis viribus datum est, pateat admi-

mi-

miranda corporis nostri structura, & singularum partium viscerumque usus, functionesque detegantur.

Æstivo autem tempore in illarum partium tractatione versatur, quibus demonstrandis adhiberi potest ex humano corpore id, quod vel natura ficcius est, vel non tam facile ita corrumpitur calore, ut ejus attentam introspectionem fætor reddat intolerabilem.

Porro tum in artis incrementum, cum in eorum gratiam, qui delectantur Anatomie, ea subtilitate ubertateque tractata, quæ ab annali Institutione non potest exigi, solet Professor singulis annis de alia Anatomiae parte ita copiose differere, eamque tanta sedulitate & patientia demonstrare, ut, qui expositionibus istis, quarum tempus scripto publico indicitur, interfuerint, nil ultra possint desiderare.

Quod

Quod si fuerit discipulorum aliquis, cui volupe sit indipisci quoque manuum peritiam in dissecandis vel humanis cadaveribus vel viventibus animalibus, habebit a Professore, unde in hac quoque re practice erudiatur.

Ejusdem pariter Professoris pensum est, postquam Anatomes universæ expositionem absolverit, differere peculiari accurataque tractatione de cognoscendis curandisque oculorum morbis, ostendendo tam in cadaveribus, quam in ipsis ægris, qua ratione sint efficiendæ enchereses illæ, quibus manu instrumentisque potest obtenebratis oculis succurri.

P H Y S I O L O G I A.

Physiologus explicat ordine *Boerhaaviano* omnes & singulas actiones corporis humani, recta valetudine perfruentis;
ad

adductis ad eas dilucidandas comprobandasque experimentis ratiocinationibusque tam propriis quam præstantiorum Physiologorum, translatisque in suum usum tum copiosissimis illis selectissimisque Medicæ doctrinæ thesauris ab immortali nostro *Swietenio*, singularis ingenii industriæque viro, congestis, tum iis, quæ solertissimus pariter ac eruditissimus naturæ perscrutator *Hallerus* sagacitate summa incredibilique labore detexit, & ad salutaris Artis incrementum ratione æque ac experimentis solidissime elegantissimeque constabilivit.

Discipulis autem, ut in antecessum efforment sibi quandam Physiologiæ notionem, consulit, ut legant Ambrosii *Marbervii* Prælectiones Physiologicas.

MATERIA MEDICA.

Cum primarius Medici scopus sit valetudinem, qua quis fruitur, servare integram, Prælectiones Materiæ Medicæ initium ducunt a ratione victus, qui sanis recteque valentibus hominibus congruit.

Quare non tantum differitur articulatim de qualitate earum rerum, quæ in cibum potumque adhibitæ sanitati aut profunt aut detrimento non sunt, verum etiam modus traditur, quo cuicunque ætati ac temperiei debeant eæ attemperari.

Hisce diligenter pertractatis, Professor *Boerhaavio* duce, ad classes omnes remediorum, quæ e Regnis animali, vegetabili & minerali in usus Medicos ducuntur, se confert.

In quaque classe primum agit generatim de remediis ad hanc pertinentibus. Deinde

peculiatim tradit uniuscujusque descriptionem historiamque, indicata ratione, quæ id feligitur, servatur paraturque. Tum referat ejus vires medicosque usus in quovis morbo, cujus symptomata enumerat, ut inde dignoscatur, quale in quoque morbi statu medicamen indicetur, quaque dosi, ac forma pro variis ægrorum circumstantiis tuto jucundeque præbeatur.

Consequitur deinde tractatio de venenis, quo nomine, recepta jam in scholis Medicis consuetudine, intelliguntur non ea solum, quæ tali natura sunt, ut quantulacunque eorum portio per se machinetur semper humani corporis destructionem, sed etiam illa omnia, quorum ut prudens administratio potest prodesse, ita inconsiderata exhibitio solet nocere.

Et si igitur optandum esset, ut venenorum, quæ proprie talia sunt, non dicam

cognitione, sed vel ipso nomine careremus, nihilominus, quoniam sæpe aut casu accidit, aut imprudentia, & non raro scelestissimorum hominum feritate, ut quid venefici sese ingerat in humanum corpus, qui Materiam Medicam exponit, cogitur de venenis quoque verba facere.

Præfatus itaque in universum de eorum natura, iisque distributis in genera, prout varia agendi vi inferunt humano corpori perniciem, descendit ad singulorum recognitionem, præcavens tamen sedulo, ne quid sibi excidat, ex quo, qui mente sunt perversa, discant artes illas fraudulosas ac detestandas, quibus impia veneficorum natio tentat mortalium vitæ latenter insidiari.

Nam ea tantum de causa in publicis Medicorum scholis differitur de venenis, etiam per se necem certo intentantibus, ut, qui profitentur se velle opitulari hominibus,

fciant, tum quæ possint illos pessumdare, tum signa, e quibus internoscatur venenone affligantur ægri, an naturali morbo, habeantque in promptu omnis generis arma, quibus illud oppugnent.

Propterea Professor, ut debet esse accuratus quidem sed brevis in enarratione rerum veneficarum; ita multus fit, oportet, in enumerandis peculiaribus cujuscunque veneni effectibus in humano corpore, & in suppeditandis auxiliis, quibus illud aut abigatur prorsus, aut mitigetur, aut iners reddatur.

Postremo, ne quis error committatur vel a Medicis in medicamentis præscribendis, vel a Pharmacopœis in iis parandis, sermonem instituit de præceptis cautionibusque, ad utrumque rite & secundum Artis leges præstandum necessario observandis.

PATHOLOGIA.

Præcipuum Medici, qui a medendo denominatur, officium est, definire ac dijudicare morbum, quo æger sibi oblatus tenetur, & ea omnia præstare, quæ valetudini restituendæ sunt apta: cumque id efficere scienter prudenterque nemo possit, cui bene perspectæ non sint morborum causæ, species & indoles, idcirco discipuli intentius studeant oportet Pathologiæ, quæ hujuscemodi rerum scientiam suppeditat; quippe quæ ambitu suo comprehendit omnia, quæ possunt ad illustrandam morborum historiam, naturam, & curationem quoquo modo conferre.

Propterea Professor in eo totus est, ut peculiari Hippocratico studio ad *Boerhaavianum* filium commendata *Swietenianorum* Commentariorum lectione, evolvat primum generatim morbi notionem:

Dein designet id, unde fit, ut alter ab altero differat; ac post hæc suscipiat singulorum distinctam nitidamque delineationem tradere, circumscribens cujuscunque causas, symptomata, signa, designansque respondentem qualicunque morbi statui tum prognosin tum curandi rationem. Ita ut Auditores efforment sibi quandam quasi imaginem rerum omnium, quæ ad morbum quemlibet discernendum, judicandum, curandumque spectare potest, inquam, dum ægrum inviserint, respicientes valeant, quoad licet, prompte intelligere & efficere quæcunque ex arte sunt.

Et ut Medico incumbit non modo, ut vulgus existimat, perditam valetudinem restituere, sed & prospicere, ne quæ adest, patiatur detrimentum, ideo traduntur etiam in Pathologia præcepta tam generalia quam particularia, quibus sani homines vivendi

rationem instituant, &, ne a morbis facile corripiantur, præcaveant.

Conjungitur quoque Pathologiæ, utpote quæ ab ejus peritia pendet, Medicina, quam Forensẽ ex eo vocant, quod usui illa sit in iis causis, quarum cognitio ad Magistratus & Tribunalia cum deferatur, necesse habent Judices sententiam Medicorum explorare.

At quamvis quis perdidicerit menteque teneat hæc omnia Artis præcepta, non illico tamen aptus est, ut admoveat ægris manus auxiliatrices. Etenim veri nominis Medicus esse is solus potest, qui ea, quæ & scholarum frequentatione, & privata Auctorum lectione perceperit, contulit cum decumbentibus ægris. Ex horum quippe diutina contemplatione emergit tandem perfecta morbos cognoscendi curandique peritia iis etiam in casibus, in quibus occasio præ-

ceps moram longiori deliberationi solet raro concedere. Atque idcirco discipuli illi, quos constat comprehendisse probe Medicæ Artis fundamenta, admittuntur demum ad Praxin Clinicam in eo practico Nosocomio, quod AUGUSTÆ MARIÆ THERESIÆ munificentia ad hunc finem instruit.

Eo loci, Studiosis omnibus lectulo adstantibus ægri publice a Professore examinantur, ut vestigentur morbi causæ, signa, symptomata &c. quæ omnia accurate scripto notantur, attentissimeque inter sese conferuntur, ut morbi natura & indoles patefiant. Hinc medicamenta ceteraque necessaria præsidia, ut & conveniens victus ratio præscribuntur, causis indicatis, propter quas judicatur ita esse cum tali ægro agendum.

Postridie relegitur tota morbi historia, narraturque singillatim, quicquid ab eo tempore, quo Discipuli secesserunt, acciderit ægro, sive ab Arte, sive a natura, adjectis semper cujuscunque rei rationibus; tum exponitur, quid eo in statu symptomata, quæ vel adhuc persisterint, vel emerferint, portendant, & deinde præsentibus eorum indicationibus curatio attemperatur. Idque quotidie eousque fit, donec æger penitus convaluerit.

Quod si morbi vis ægrum superaverit, tunc convocatis Auditoribus cunctis, qui ejus tractationi interfuerant, secatur cadaver, in eoque curiosissime exploratur, quicquid potuerit unquam tum hunc morbum facere, tum morti causam præbere: tum etiam disquiritur, solidæne fuerint naturæque morbi vere consentaneæ, quæ inter

medendum proferebantur five conjecturæ, five dijudicationes.

Ac ne studiosis fedulisque Discipulis quid defit, quominus audeant ipsimet ægrorum curam suscipere, conceditur iis, qui diutius assidueque præsto fuerint hujuscemodi clinicis exercitationibus, adire quotidie pluries hoc Nosocomium, ibique decumbentes ægros contemplari & examinare, ut animo concipiant genuinam morborum in quocunque statu effigiem. Quin sub auspiciis directioneque Professoris quidam ægri penitus eorum curationi concreduntur.

Accedit quoque illud commodi, quod cuicumque Medicæ Artis vel Candidato vel Doctori liceat omnia Urbis Valetudinaria pro arbitrio adire, ægrosque invisere; ordinariis loci Medicis candide aperientibus, si quæ adhucdum dubitandi locum adferunt,

aut

aut dilucidiorē experientiæ fulgorem præstolantur, ut de iis rite statuatur.

ORDO STUDII MEDICI.

Quod affectantibus scientiam artemve aliquam, quæ ab alia, veluti furculus e trunco pendens, mutuatur principia quædam, quibus quasi imis basibus innitatur, faciendum præcipit recta ratio, ut nempe ad eam non accedant, antequam universa, quæ huic substernuntur, sibi nota reddiderint, id salutaris Artis cupidis tanto minus est prætermittendum, quanto valetudo, & ipsa vita mortalium, cui illa præest, cæteris humanis rebus, utpote pretiosior, est anteponenda.

Cum ergo humanum corpus, circa cuius statum sanum morbosumque Medicus versatur, subsit legibus tum iis, quæ ce-

te-

teris corporibus sunt communes, tum peculiaribus quibusdam, quæ non remotam habent cum reliquis animantibus affinitatem, ac præterea eodem fere cum istis modo a naturalibus rebus afficiatur, manifestum est, neminem posse Medicinam intimius assequi, qui experimentalem Physicam Mathematicam face diligentius non perlustraverit, Naturalique Historiæ cognoscendæ animum non appulerit.

Præsertim cum sedula multiplicium naturæ operum contemplatio mentem acuat, & ad eam quoque sagacitatem facilius acquirendam disponat, cujus beneficio in Medicæ Artis exercitio tenebræ, faciem morborum non raro infuscantes, feliciter dispelluntur.

Atque hæc necessaria prorsus sunt. Sed non mediocris quoque utilitatis erit Medicinæ studioso linguarum peritia: Græcæ primum, qua ex ipsis Medicæ Artis

fontibus nativi latices hauriantur: tum earum gentium, quæ bonis literis peculiarem operam dant, ut in proprios usus transferat, quicquid illustres apud eas Artis Salutaris cultores superiori nostraque ætate a se vel detectum vel meliori in luce collocatum non nisi patrio sermone exposuerunt.

Et si in elegantioribus quoque literis non erit omnino inexercitatus, non quidem major Medicus fiet (morbi enim non eloquentia sed remediis curantur) sentiet tamen majora sibi adesse, cum ad distincte ordinateque cogitandum, tum ad apposite loquendum, adjumenta, quam habeant ii, qui ejuscemodi ornamentis destituuntur.

Igitur adolescens necessariis, quæ superius memoravimus, scientiarum elementis imbutus, audiet primo anno Prælectiones Anatomes, Chemiæ & Botanices; tum quia cum Physica Experimentalis Naturali-
que

que Historia conjunctionem habent, tum quia ad intelligentiam eorum, quæ consequuntur, viam sternunt.

Secundo anno iisdem, ut vocant Collegiis, quæ tenetur iterum frequentare, addet auditionem Prælectionum Physiologicarum.

Tertio anno vacabit denuo Physiologiæ, conjungendo illi Pathologiam & Materiam Medicam.

Quartum annum impendet repetitioni Pathologiæ, Medicæque Materiæ, & infimul adibit Collegia Clinica.

Quintum denique annum transiget in audiendis Clinicis Collegiis, & in iis Prælectionibus recolendis, in quibus existimaverit se non esse satis eruditum: vel si id sibi magis libuerit, adibit scholas Chirurgiæ, Artisve Obstetriciæ, aut Urbis Nosocomia.

At-

Atque hoc ordine, qui Medicinæ diligenter operam navaverit, poterit certe quinque annorum spatio ea omnia facile perdiscere, quæ ad Medicinam intelligenter faciendam sunt scitu necessaria.

EXAMINA PRO GRADU DOCTORATUS MEDICI.

Non tamen studioso, etiam si scholis assidue interfuit, conceditur statim Artis exercendæ potestas. Etenim constare Facultati debet, ipsum universa, quæ audivit, ita percepisse, ut ea in succum, ut ajunt, & sanguinem omnino converterit.

Quapropter duo illi rigorosa examina sunt subeunda.

Horum primum complectitur universæ Medicinæ fundamenta, integramque Theo-

reticam doctrinam. Proponuntur igitur illi resolvendæ ex Anatome, Chemia, Botanice, Physiologia, Pathologia quæstiones aliquot graves, ut dignoscatur, an Candidatus noscat scienter humani corporis partes, actiones atque functiones; valeatque morbos tam generales quam particulares e signis symptomatibusque propriis discriminare, & sive prophylacticam, sive curantem medellam cuicunque indicationi congruentem designare.

Atque huic examini interfunt Facultatis Præses, Decanus, & quatuor Medicinæ Professores.

In altero examine, quod est mere practicum, & aliquot postprimum diebus instituitur, præsentibus præter Præsidem, Decanum & quatuor Professores, binis Facultatis Membris e peritioribus Practicis, agitur solummodo de varia difficiliorum

com-

complicatorumque morborum curatione; tum de præfinienda plurium medicamentorum dosi, de indicandis morbis, quibus hoc alterumve remedium conveniat, ac tandem de diversis eorum formulis ad Artis leges præscribendis.

Quæstiones autem, quæ in utroque examine objiciuntur illi discutiendæ, ita artificiose contexuntur, ut complectantur, quanto plures Medicæ Artis partes possunt conglomerari, ad hoc ut certius statuatur haud minus de respondentis peritia, quam utrum in eo, quod ipse profert, non solum memoriæ vis, sed & perspicax & prudens & solidum iudicium interluceat.

Si Candidatus in binis hisce examini- bus tulit omnium suffragia, admittitur ad habendam publicam inauguralem Disputationem, quam ipsemet trium mensium tem-

pore debet componere, nisi argumenti gravitas longius temporis intervallum exposcullet.

Disputatio hæc habetur semper in publicis Universitatis ædibus, quatuor Medicinæ Doctoribus Defendentem non ex formula & ad pompam, sed graviter rigideque oppugnantibus.

Cumque publicus hic actus reputetur tertium postremumque examen, debent necessario Decanus & omnes Medicinæ Professores ei adesse.

Postquam vero omnia hæc rite processerint, constituitur certa dies, qua Rector Universitatis, Cancellarius, quatuor Facultatum Decani, Professor promovens & Facultatis Notarius congregantur, & auctoritate, a Summo Principe concessa, tribuunt Candidato ritu consueto Doctoratus Gradum, & omnia Jura ac Privilegia huic
ad-

adnexa. Inter quæ illud erit præcipuum, quod, qui in Vindobonensi studiorum Universitate creatus est Medicinæ Doctor, liberam Facultatem consequatur exercendi Artem sedemque suam figendi in hæreditariis omnibus Cæsareo - Regiis Provinciis, ubicunque locorum sibi visum fuerit.

Si autem voluerit albo Membrorum Facultatis Medicæ Vindobonensis adscribi, solvat necesse est, centum aureos Cremnicenses, qui ad ærarium viduarum Facultatis deponuntur.

C H I R U R G I A.

Arti quoque Chirurgicæ deputatus est in Universitate nostra Professor Publicus Ordinarius, titulo Consilarii Cæsareo - Regii condecoratus, qui in Facultate

post ultimum Medicinæ Professore locum occupat.

Ad hæc Collegia patet pariter cuilibet liber aditus: Chirurgis autem Civicis Vindobonensibus præceptum est, ut omnes Tyrones Amanuensesque suos ad ea audienda mittant; atque inde quotidie de eo, quod audierunt, examinent exploraturi, num in Arte proficiant futurique sint ei exercendæ apti.

Cum solidæ Chirurgiæ basis sit Anatomes cognitio, Professor exorditur Prælectiones suas ab Osteologia & Anatome, quam vocant siccam; a qua gradum deinde facit ad universæ Anatomes demonstrationem in cadaveribus, adnotans in qualibet corporis parte, & experimentis exemplisque practicis confirmans, quæ a Chirurgis sunt in iis observanda, interserens eodem tempore tum Physiologiam, tum animadversiones

fiones omnes, quæ ex Anatome spectare possunt ad Chirurgiam, quam vocant Forensensem & legalem.

Necessariis hisce fundamentis substratis sumit sibi enarrandas Chirurgiæ Institutiones. In his post brevem historiam literariam Chirurgiæ, exponit distincte ea omnia, quæ expertus Chirurgus scire debet de morbis tam in genere quam in specie. Agit de tumoribus, vulneribus, ulceribus, luxationibus, fracturis &c. recensens methodo facili singula signa & symptomata, a quibus, vera & multiplici observatione confirmata, chirurgicorum morborum cognitio, differentia & diagnosi determinantur. Ac tandem indicat omnia tam interna quam externa præsidia, quibus Chirurgus ad quoscunque Arti suæ subiectos morbos pertractandos potest umquam indigere.

Postquam vero integram theoreticæ Chirurgiæ explicationem absolverit, ad Chirurgicas operationes descendit eo ordine, ut præmissa generali earum notione ac divisione, suscipiat de qualibet singillatim agere, tradens peculiarem cujuscunque theoriam, quæ cognitu necessaria est, ut dextere appositeque perficiatur. Ostendit deinde universum instrumentorum, fasciarum &c. ad eam encherefin apparatus, & congruentem uniuscujusque usum & applicationem. Quo facto ipsemet eam operationem, de qua sermonem habuit, instituit in cadavere, repetens inter operandum atque demonstrans practice cuncta, quæ antea theoretice explicaverat.

Ex qua methodo, fat certe laboriosa, non parum utilitatis reportant etiam ii e Discipulis, qui mediocri minusque dexterum ingenium cum sint a natura consequu-
ti,

ti, segnius perciperent ea, quæ illorum auribus ingeruntur, nisi eorum speciem fideles oculi imaginationi simul infigerent.

Quoniam vero in iis, quæ manu efficienda sunt, solus ille sperare potest, se apte rem esse gesturum, qui repetita exercitatione manibus habilitatem dexteritatemque comparaverit, constitutum ideo est, ut quolibet anno postrema Novembris, Decembris, Januarii, Februarii, Martiique hebdomada impendatur ea ratione, quæ subjicitur.

Chirurgiæ nempe Professor eos e suis Auditoribus seligit, qui theoreticam doctrinam probe callent. Ex iis vicissim modo unum, modo alterum jubet Chirurgicam aliquam operationem perficere in cadavere, exigens, ut is ejus operationis theoriam publico in Collegio prius exponat, & omnia ad eam peragendam necessaria rite pa-

ret. Deinde rem aggreditur adstantibus Discipulis omnibus & Professore, qui eum, si minus recte operetur, corrigit comiter demonstrata ratione, qua & id, in quo erraverat, & id, quod profecuturus est, fit efficiendum.

Peracta operatione applicat ea omnia, quæ applicanda essent, si operatio instituta fuisset in corpore vivente; recenset quoque, quid infausti potuisset sub ipsa operatione contingere, quave ratione sit illud evitandum; narratque deinde ea, quæ solent quandoque operationem subsequi, indicans remedia, quibus his foret obviandum.

Sed ne selecti hi adolescentes accedant ad publicas hasce operationes imparati, significatur iis mense ante, quænam operationes futuro mense faciendæ sint, & auctores, unde ad eas perficiendas erudiantur.

In eum quoque finem hujuscemodi publicæ exercitationes sunt institutæ, ut adolescentes, assueti operari in propatulo, assequantur eam strenue audacterque agendi securitatem, quæ Chirurgo necessaria est, quominus ab efficiendis iis, quæ ex arte sunt, aut personæ languentis splendore, aut adstantium auctoritate dimoveantur, vel perturbentur. Tales denique fiant, quales *Celsus* vult Chirurgos esse: *animo intrepidus, immisericors, sic ut sanari velint eos, quos acceperint, non ut clamore eorum moti, vel magis, quam res desiderat, properent, vel minus, quam necesse est, secent; sed perinde faciant omnia, ac si nullus ex vagitibus alterius affectus oriatur.*

In quo, ut quotidie magis obfirmentur, Professor, qui hac de causa proprium nosocomium sub se habet, illis quorum chirurgicam peritiam in cadaverum tractatione

exploraverit, concedit, ut, se præfente ac dirigente, operationes quasdam in ægris quoque pertinent.

Et quoniam perfimiles operationes publicæ perficiuntur etiam in Nosocomio Medico practico, in Pazmanniano, in Hispanico, & ad Sanctum Marcum, in quibus primarii Chirurghi sunt certe viri experientissimi, qui voluerit ferio & ex animo sese Arti huic dedere, non habet, quid desideret eorum, quæ ad perfectum Chirurgum efformandum aliquam vim possunt unquam habere.

Ad Anatomen Professor Chirurgiæ commendat *Verdieux*, & *Winslow*; in Chirurgia sequitur ordinem majoris Chirurgiæ *Heisteri* consulendo simul legendos *Gerardi van Swieten* commentarios de morbis & operationibus chirurgicis.

EXAMINA CHIRURGICA.

Pro Chirurgiæ Candidatis bina quoque examina præscripta sunt, ad quæ tamen nullus admittitur, nisi per longum tempus nosocomia frequentaverit.

Primum examen est de Anatome & de universa Chirurgia tam theoretica quam practica. Statuuntur quoque peculiæ quæstiones de varia vulnerum lethalitate, deque cadaverum veneno, vel vi extrinsecus illata, intersectorum recognitione, & legali ad Judices relatione.

Si his omnibus Candidatus satisfacit, interrogatur adhuc de ratione, qua morbi quidam interni maxime communes popularesque dignoscantur, & quomodo, quibusque medicamentis ii sint tractandi.

Etenim cum non ubique locorum præsto sit Medicus, oportet, ut Chirurgus,
qui

qui ceteroquin sine aliqua Medicinæ notitia nequit esse perfectus, ita sit comparatus, ut hujusmodi quoque infirmis valeat opitulari.

In secundo examine debet instrumentorum chirurgicorum, qualiacunque illi exhibeantur, nomen, usum, & applicandi rationem illico pandere, ut & diversa fasciarum ligamentorumque genera machinæ in hunc finem concinnatæ aptare: & si cadaver exstet, unam alteramque operationem in eo perficere, spectantibus Examinatoribus, Præside nempe Facultatis Medicæ, Decano, Professoribus Anatomies & Chirurgiæ, atque binis Senioribus e gremio Chirurgico.

Qui in ambobus hisce examinibus non indubia dedit scientiæ specimina, & omnium Examinatorum suffragia reportavit, admittitur ad juramentum, nancisciturque

Di-

Diploma, quo aptus ad Chirurgiam exercendam declaratur.

ARS PHARMACEUTICA.

Quandoquidem interest admodum Reipublicæ, ut Pharmacopœæ publicæ sint selectis, recentibus riteque paratis, & a quocunque vel incipientis corruptelæ vitio exemptis medicamentis instructæ; cautum propterea lege est, primum, ne ullus in censum publicorum Pharmacopœorum adscribatur, nisi a Facultate Medica fuerit examinatus & adprobatus: tum ut certus definitusque sit Pharmacopœarum publicarum numerus, quem augere nisi gravissimis intercedentibus causis non licet, cum perspicuum sit, non posse sperari, ut medicamenta servantur integra in iis officinis, quibus frequens ea dividendi occasio non suppetit: & tandem,

ut

ut in potestate Præsidis esset, earum visitationem cum Decano, Professore Chemiæ ac Botanices, atque binis senioribus e gremio pharmaceutico pro arbitratu suo inopinante instituere.

Et, qui Arti conficiendi Pharmaca voluerint se addicere, debent cumprimis latinam linguam callere. Tum, si tyrocinii tempore fundamenta Pharmaceutices didicerunt, & ad omnia, quæ manu peragenda sunt, sese intelligenter exercuerunt, facultatem obtinent frequentandi Prælectiones Chemicas, Botanicas, Materiæque Medicæ; & a Decano inscribuntur Matriculæ Facultatis Medicæ, participesque fiunt Privilegiorum omnium, quibus Medicinæ studiosi perfruuntur.

EXAMINA PHARMACEU-
TICA.

Parmacopœus subest quatuor examini-
bus.

In primo exhibentur ei plures variæ-
que plantæ recentes, quarum nomina non
tantum Officinalia, verum etiam Botanica
nosse debet. Determinandum præterea ab
ipso est, quænam cujuslibet plantæ pars
in usu sit; quid ex ea soleat in officinis, &
qua ratione confici; quo anni tempore sint
colligendæ, & quomodo servandæ, ut ea-
rum integritati efficacitæque nihil decedat.

In secundo, quod est de Materia Me-
dica & Pharmaceutica, afferuntur varia ex
omnibus tribus regnis simplicia medica-
menta, quæ debet non hæsitanter denomi-
nare, atque insimul denotare signa, ex
quibus recentia & efficacia ab effectis,

ge-

genuina ab adulteratis dignoscantur, & modum, quo possint fraudes detegi.

Tertium, quod versatur in Chémia & universa Pharmaceutice, transigitur interrogationibus de earum fundamentis; tum multiplicibus quæstionibus de diversis Chemicis Pharmaceuticisque processibus, de variorum medicamentorum compositionibus ac mixtionibus, de instrumentis, eorumque usu, de ponderibus, mensuris ac notis apud Chemicos Medicosque usitatis &c.

Si in hisce tribus examinibus apte, scienterque responderit, designatur dies certa ad examen quartum, quod est practicum.

Nam indicuntur ipsi quædam operationes Chémico - Pharmaceuticæ, quas teneatur theoretice explicare, ac demonstrare, enarratis necessariis ad eas rite peragendas cautionibus, & deinde in conspectu omnium

nium Examinatorum propria manu industriaque integre perficere.

Ut hæc omnia absolvit, admittitur ad juramentum, & consequitur Diploma, cujus vi potest publicam Pharmacopœam vel sibi met ipsi comparare, vel Provisoris titulo administrare.

ARS OBSTETRICA.

Qui Obstetrices ita parvifaciunt, ut in infimam fere hominum classem eas detrudant, æquius certe de iis judicarent, si perpenderent, earum opera consilioque in lucem educi conservarique complures Cives Reipublicæ utilissimos, qui secus aut in ipso ortu misere interiissent, aut languentem & ad munia publica inhabilem vitam traduxissent.

Verum quidem est accidere non raro, ut temeritate imperitarum muliercularum (viros enim ad hæc officia fœmineus pudor plerumque renuit adhibere) non solum connubiorum fructus aut præfocentur, aut deformentur, quin & ipsi humanæ propaginis fontes pessumdentur ita, ut prorsus ariscant.

Sed ex hoc nihil inde conficitur, nisi quod e sapientia publica sit advigilare, ne sive a prægnantibus, sive ab iis, qui entibus auxiliantur, detrimenti quid capiant humani furculi in hanc lucem prodituri.

Atque ideo providentissima AUGUSTÆ MARIÆ THERESIÆ Mens passa non est, ut Medica Vindobonensis Facultas publico Artis Obstetriciæ Professore care-ret.

Is autem hoc ordine docet.

Pri-

Primo agit de Pelvi, cujus ossa primum conjunctim, tum separatim considerat; adnotans omnia, quæ ante partum, eoque durante, obstetricibus, ratione singulorum istorum ossium, sunt observanda.

Secundo tradit Anatomem partium genitalium muliebrium tam exteriorum quam interiorum.

Tertio exorsus a conceptu exponit totum graviditatis decursum, ejusque signa tam vera quam dubia, enarrando quænam in genitalibus gravidarum membris immutationes a conceptionis momento ad finem graviditatis usque sæpissime observentur.

Quarto considerat in ultimo graviditatis termino statum uteri & eorum, quæ in eo continentur; dein recenset signa partus instantis, distinguit dolores partus veros a spuriiis, traditque completam partus naturalis historiam doctrinamque; porro agit de

partubus immaturis, de molis conceptibusque falsis ac præternaturalibus &c. demum universam Obstetriciæ Artis theoriam explicat.

Quinto demonstrat in pelvi deducta, qui partus sint naturales, qui præternaturales, qui difficiles, qui impossibiles.

Sexto eosdem pariendi modos ostendit in machina, fœminam artificiose constructam repræsentante, vel in cadavere, si quod forte præsto sit ad hujusmodi demonstrationes opportunum. Atque una docet practice conversiones encheresesque omnes, quæ fieri unquam possint ac debeant tam ab Obstetricibus quam ab Obstetriciis, adducitque, quoad fieri potest, omnes observationes practicas de causis, signis, symptomatibusque hæmorrhagiarum internarum æque ac externarum.

Septimo de Obstetriciis instrumentis, quæ omnium conspectui subjiciuntur, differit in communi; tum uniuscujusque usum, præstantiam & adaptationem aperit, enumeratis casibus, quibus illa convenient.

Octavo edocet Obstetrices modum, quo gerere se debeant cum gravidis, parturientibus, recens natis, puerperis, nutricibus; quidve ratione victus, & curationis quorumcunque symptomatum, quæ supervenire quandoque solent, sit ab ipsis observandum.

Erudit postremo illas, quo pacto quibusque cautionibus, cum judices jusserint, debeant inquiri, inspicique fœminæ aut de graviditate suspectæ, aut de corruptela, de furtivo partu, de infanticidio, de abortu, &c. accusatæ, docetque simul, quanta circumspeditione opus sit, ut ad judices de iis ex legum formula recte possit referri.

Professor Obstetricibus æque ac Obstetriciis commendat Obstetricia opera Raphaelis *Steideler* legenda in antecessum. Artis Obstetriciæ curriculum ter singulis annis absolvitur.

Iis, qui in Arte profecerunt ita, ut ejus theoriam bene calleant, conceditur aditus in valetudinarium ad Sanctum Marcum, quo loci cum gravidarum parientiumque non mediocris copia sit, potest quis percommode fructuoseque veram Artis praxin assequi.

EXAMEN OBSTETRICUM ET OBSTETRICANTIUM.

In eo, cui interfunt Præses, Decanus & Obstetriciæ Artis Professor, exploratur severissime, an Obstetrices universam Artis doctrinam intelligenter perceperint: tum præscribitur illis, ut in obstetricia machina varias conversiones, & in difficilio-

ribus partibus necessarias enchereses prius demonstrent, deinde manu exequantur.

Ab Obstetriciis vero, qui vel Medici esse debent vel Chirurgi, exquiritur præter hæc, quid judicandum agendumque sit in partibus, quorum difficultas & periculum sunt, quam fieri potest, maxima: exigiturque, ut sententiæ suæ encheresiumque ab ipsis propositarum rationes reddant ex Arte. Proponuntur dein de iis Obstetricia instrumenta, ut eorum usum, applicationem, casusque, in quibus quodlibet conveniat, explicant, ac tandem jubentur ea instrumenta vel cadaveri vel machinæ aptare, ut de eorum scientia, dexteritate, ac iudicio certo constet.

Quod si Obstetrices ea, quæ superius memoravimus, & Obstetricii ea insuper, quæ posterius, suffragantibus omnibus præsti-

stiterint, admittuntur ad juramentum, & obtinent Diploma.

Atque ut Medici Chirurgique diligentius incumbant saluberrimæ huic Arti, decretum est, ut ceteris paribus, anteferantur ii, qui in hac Arte practice sese exercuerunt: nec ullus constituitur Chirurgus primarius Urbis aut Circuli, qui Obstetricius simul non sit.

DE IIS, QUIBUS IN EXAMINE OMNES NON SUFFRAGANTUR.

Qui in examinibus sive ad Medicinam, sive ad Chirurgiam, Pharmaceuticam, Obstetriciamve Examinatoribus non facit satis, & uno alterove eorum suffragio destituitur, nequit juramentum deponere, & multo minus Diploma consequi; sed debet prout, spectato ejus ingenio, visum fuerit, adhuc Collegia uno duobusve annis frequentare,

tare, eaque perdiscere, in quibus ostendit, se non esse satis versatum. Quo tempore præterlapso potest iterum se subicere examini, quod pariter, secundum descriptam superius formulam, instauratur.

COLLEGIA EXTRAORDINARIA.

Jam vero, quoniam ordinariis anni scholastici Prælectionibus perdurantibus, solent Chirurghi Obstetricesve e variis Provinciis Vindobonam adventare, ut in Arte sua sese perficiant, quorum gratia Professor Publicus Ordinarius nequit cum Auditorum suorum detrimento institutum Collegiorum cursum immutare, aut abrumperé, providit AUGUSTÆ Munificentia, ut exstet Professor Extraordinarius, qui plures quotidie horas impendat iis erudiendis tum voce, tum Chirurgicæ Obstetriciæque Pra-

xeos demonstratione, in Valetudinariis ad hoc designatis. Quod beneficium percommodum fane est Chirurgis Obstetricibusque, præsertim ruralibus; utpote quibus liberum hoc pacto est, aditionem Urbis ad domesticas rationes pro arbitratu suo componere.

Tandem ne in qua Medicinæ parte desint privatæ Prælectiones, in eorum commodum, qui eas desideraverint, licebit cuilibet Medico, Chirurgo, Pharmacopœo & Obstetricio privatim prælegere, siquidem a Facultatis Medicæ Præside idoneus huic muneri judicetur.

Atque hisce Institutis, suprema Auctoritate confirmatis, religioseque servatis regitur Medica nostra Vindobonensis Facultas: quibus, nisi nos nostrarum rerum amor fallat, existimamus provisum abunde esse

om.

omnibus, quæ necessaria sunt, cum ad prospiciendum virorum foeminarumque cujuscunque ætatis sanitati; tum ad efformandos Artifices, qui, si studiis, doctrinæ prudentiæque conjunxerint officia, quæ *Hippocrates* in suo jurejurando memorat, ii sint, quibus cives valetudinis suæ suorumque curam fidenter possint concedere.




THE HISTORY OF THE
CITY OF BOSTON
FROM THE FIRST SETTLEMENT
TO THE PRESENT TIME
BY NATHANIEL BENTLEY
VOLUME I
BOSTON: PUBLISHED BY
J. B. ALLEN, 1856.



THE HISTORY OF THE
CITY OF BOSTON
FROM THE FIRST SETTLEMENT
TO THE PRESENT TIME
BY NATHANIEL BENTLEY
VOLUME II
BOSTON: PUBLISHED BY
J. B. ALLEN, 1856.

EXPLICATIO
Schnographiæ
Horti Botanici
Pindobonensis.

- AA. Via publica, vulgo
Pennyweg.
B. Introitus ad hortum.
C. Area.
D. Domicilium Hortularii.
EEEE. Domicilium Professoris.
FF. Caldarium altius.
GG. Caldarium domusius.
HH. Hybernaculum.
III. Sulerii pro Serendis
primo vere seminibus.
L. Pratum.
MM. Fruticetum ex Strepibus
arctatum sub dio, hyemem
in hybernaculo agentibus.
NNN. Areola pro plantis
pharmaceuticis solis.
OOOO. Areolæ, quæ conti-
nent plantas herbaceas,
cum annuas, tum radice
perennante donatas, clima
nostrum ferentes, secun-
dum genuinum naturæ
nutum digestas.
PP. Areolæ pro plantis per-
sibus, arctatem solam sub
dio agere aptis, hinc in
illis crescentibus.
QQ. Arboreta.
RR. Plantæ cleraceæ.
SS. Pergula cameraria.
TT. Lignile.
UUU. Plantæ aquaticæ.
V. Seminarium.
X. Transitus ad Hortum
Cæsareum. Belvedere.
Y. Edicula activa.



10 20 30
Scala 30 Organiarum

